DIEM,

QVO

HEROS AC MAECENAS,

PERILLVSTRIS, GENEROSISSIMVS ATQVE EXCELLENTISSIMVS

FRIDERICVS a GROEBEN,

S. R. M. REGNIQVE POLONICI
EXERCITVS PEDESTRIS LEGATVS
a S.R.M. IN BORVSSIA, TERRITORIIS OSTERODENSI ET HOHENSTEINENSI PRAEFECTVS,
MORTALITATEM MAGIS, QVAM VITAM
BEATISSIME FINIIT,
ACADEMIAE REGIOMONTANAE
OB INSIGNEM ISTIVS MVNIFICENTIAM,
ANNVA CELEBRITATE SACRVM
VT, PROXIMA VENERIS, HORA X. MATVTINA,
IN ACROATERIO MAXIMO,
GENEROSISSIMI, GROEBENIANI STIPENDII CVRATORES, CETERIQVE OMNES, QVI INTELLIGVNT LITTERAS BONAS, ATQVE IN COMPLEXV, OCVLIS, AVRIBVS HABENT,
PRAESENTIAE SVAE AC FREQVENTIAE HONORE,
SOLENNIOREM REDDERE DIGNENTUR,
RECTORIS ET SENATVS ACADEMICI
NOMINE ATQVE AVCTORITATE,
OFFICIOSE HUMANITERQVE ROGAT

JOANNES ARNDIVS,
ELOQV. ET HISTOR. PROF. PVBL. EXTR.



REGIOMONTI, LITERIS REUSNERIANIS.



Uibus, pro numine, nummus eſt, adeo, vt, licet facultatibus largiter abundent, nihilominus, ex inſatiabili habendi cupidine, non poſſideant quicquam, verum ab vnaquaque re, quam manibus ſuis tenent, ſeruiliter poſſideantur; Hi, de ſuo, ac ſi de alieno, ne minimum ſibi, et ne nouisſimis quidem vitae ſuae diebus, licere putantes, nunquam morte apparent liberaliores, quam vita ſe praeſtiterunt. Inde, quum vix, forte ne vix quidem, vna cum ſpiritu abjectisſimo, foedisſimam deponunt cupidinem iſtam; non deſerunt theſauros ſuos, ſed ab iisdem miſere deſeruntur; relinquunt cum gemitu, et lacrymis, quod, ſiccis plane oculis, cumque riſu excipiunt, vel rapiunt potius, ſucceſſione neceſſaria heredes. Atque ita, tandem aliquando, vitam viuentes illaudatam, ingloria quoque morte, occidunt, deſinunt, pereunt.

E Contrario, quos ad tenacem admodum pecuniae cuſtodiam, ſordidae auaritiae vincula non reſtringunt; Hi plerumque, nouisſimae voluntatis ſuae tabulis, ſpeculum quaſi morum ſuorum, in manus aliorum tradunt, atque egregium, recteque penſitatum liberalitatis amorem, luculenter teſtantur. Hi, amplisſimis, et pietate, et munificentia plenis legatis, tam ſuos, quam alienos, jucunde ac

ſalubriter proſequuntur; nec modo iis donant, qui donare maxime poſſunt, verum et indigentibus; neque his promiſcue, vilioribus abjectisque, ſed cum delectu, doctrina nempe, et morum ſanctitate praeſtantioribus, atque aliquando publico profuturis: Hi denique, praeter reliqua rerum ſuarum, quae per ſucceſſiones continuas, alium atque alium dominum ſortiuntur, vnum aliquod inſigniter conditum, poſt ſe relinquunt, quod perpetuo ſuum; et propter quod, pia ac grata poſteritatis commemoratione, aequisſimas virtutum ſuarum laudes in ſaecula transmittunt.

Tali plane ac tam glorioſiſſima ratione, memoriam ſui, Academiae noſtrae, validiſſime commendauit, *Vir, tam magni, quam late auditi nominis*, *FRIDERICUS à GROEBEN*, *Ampliſſimum gentis ſuae decus, et lumen, et exemplum illuſtrisſimum.* Qui, inter alia inſolitae liberalitatis ſpecimina, res Muſarum, prouida nouisſimarum tabularum diſpoſitione, centies mille florenis auxit; hocque vnico perquam memorabili beneficio, multis, et ſudore, et ſanguine ſuo praeclarisſime geſtis, ſupremum heroicae virtutis cumulum addidit. Quamobrem, tanti Maecenatis gloriam, hoc ipſo, nouem ante annos emortuali die, mori non ſinunt annuae, et, ſi non dignitate ſua, pietate tamen immortales praedicationes eorum, quibus, liberalitate

tate

tate illius, nec non ſolerti circumſpectione, *Generoſisſimorum Curatorum*, in alimenta, et ſtudia litterarum, equeſtresque exercitationes, ſumtus quotannis largiter redeunt ac diſpenſantur.

Ex quibus, hac vice, munificentiae iſtius bene locatae fructum, ſpemque progreſſuum certo futuram, orationibus memoriter habendis, publice probabunt ac promittent, *Generoſi Adoleſcentes*: JOACHIMUS HENRICUS à GROEBEN, Viri tot et tantis, per omnes quatuor orbis terrarum partes, itineribus clari, *Perilluſtris nempe et Generoſisſimi*, *OTTONIS FRIDERICI à GROEBEN*, *S.R.M. et Regni Poloniae exercitui Generalis*; *atque à S.R.M. in Boruſſia, Mariae-Inſulano ac Rieſenburgenſi territorio*, *Praefecti*, *Neudorffienſis Majoratus*, *ceterarumqve poſſeſſionum Domini*, Filius; vt et *HENRICUS GERHARDUS à LILIENSTERN*, quondam *in Exercitu Svecico*, *ſupremi cauſarum caſtrenſium judicis*, filius. Qvorum vterqve, ex auctoritate, qua, *Illuſtrisſimus Groebeniani Stipendii Conditor*, tam hoſtibus olim formidoloſus, quam apud exercitum ſuum venerabilis extitit, argumentum cupiet; Alter, *Auctoritatem Imperatoris*, *ex potentia et ſeueritate ſola*; alter, *eandem*, *ex virtutum admiratione*, *potiſsimum natam*, expoſiturus. His itaque, vt Perilluſtres et Generoſiſſimi, Groebeniani Stipendii Curatores, ceterique litterarum Patroni, amatores atque alumni, X. Calendas Iunias, hora X. mat. benigniſſime praeſtò eſſe, atque auſcultatione fauenti, laudatione velut tacita, ſponte licet ad majora currentibus, calcaria tamen addere, non dedignentur, obnixe reuerenterque rogamus. P. P. XV. Calend. Jun. A. N. C. MDCCXXI.